

HANNIBAL WITH ANTIOCHUS THE GREAT (193 B.C.) (35.14 & 19)

After the defeat of Carthage in the Second Punic War, Hannibal remained in Carthage for some time but was eventually forced to flee to the East, where he offered his services to Antiochus III the Great of Syria. Antiochus, the Seleucid successor to Alexander's empire in Syria, Mesopotamia and further East, had conducted a series of campaigns against Iranians, Judeans, and Ptolemy V of Egypt when Rome broke the power of Philip V of Macedon at Cynocesphelae in 197 B.C. Antiochus then began to move into the vacuum left in Greece (from which Rome had withdrawn completely in 194 B.C.), leading to a series of embassies from Rome. War eventually broke out when Antiochus invaded Greece in 192 B.C., ending in Rome's total victory and the Treaty of Apamea in 188 B.C. by which Antiochus withdrew from all of Asia Minor.

1 [14] Sulpicius aeger Pergami substitit; Villius cum Pisidiae bello occupatum
2 esse regem audisset, Ephesum profectus, dum paucos ibi moratur dies, dedit
3 operam ut cum Hannibale, qui tum ibi forte erat, saepe congrederetur, ut
4 animum eius temptaret et, si qua posset, metum demeret periculi quicquam
5 ei ab Romanis esse. Iis conloquiis aliud quidem actum nihil est, secutum
6 tamen sua sponte est, velut consilio petitum esset, ut vilior ob ea regi
7 Hannibal et suspectior ad omnia fieret.

8 Claudio, secutus Graecos Acilianos libros, P. Africanum in ea fuisse
9 legatione tradit eumque Ephesi conlocutum cum Hannibale, et sermonem
10 unum etiam refert: quaerenti Africano quem fuisse maximum imperatorem
11 Hannibal crederet, respondisse Alexandrum Macedonum regem, quod parva
12 manu innumerabiles exercitus fudisset quodque ultimas oras, quas visere
13 supra spem humanam esset, peragrasset. Quaerenti deinde quem secundum
14 poneret, Pyrrhum dixisse: castra metari primum docuisse, ad hoc neminem
15 elegantius loca cepisse, praesidia disposuisse; artem etiam conciliandi sibi
16 homines eam habuisse ut Italicae gentes regis externi quam populi Romani,
17 tam diu principis in ea terra, imperium esse mallent. Exsequenti quem
18 tertium duceret, haud dubie semet ipsum dixisse. Tum risum obortum
19 Scipioni et subiecisse "quidnam tu dices, si me uicisses?" "tum uero me"

20 inquit “et ante Alexandrum et ante Pyrrhum et ante alios omnes imperatores
21 esse.” Et perplexum Punico astu responsum et improvisum adsentationis
22 genus Scipionem movisse, quod e grege se imperatorum velut
23 inaestimabilem secrevisset.

24 [19] Hannibal non adhibitus est in consilium, propter conloquia cum villio
25 suspectus regi et in nullo postea honore habitus. Primo eam contumeliam
26 tacitus tulit; deinde melius esse ratus et percunctari causam repentinae
27 alienationis et purgare se, tempore apto quaesita simpliciter iracundiae causa
28 auditaque “pater Hamilcar” inquit, “Antioche, paruum admodum me, cum
29 sacrificaret, altaribus admotum iurejurando adegit nunquam amicum fore
30 populi Romani. Sub hoc sacramento sex et triginta annos militavi, hoc me in
31 pace patria mea expulit, hoc patria extorrem in tuam regiam adduxit: hoc
32 duce, si tu spem meam destitueris, ubicumque vires, ubi arma esse sciam
33 veniam, toto orbe terrarum quaerens aliquos Romanis hostes. Itaque si
34 quibus tuorum meis criminibus apud te crescere libet, aliam materiam
35 crescendi ex me quaerant. Odi odioque sum Romanis. Id me verum dicere
36 pater Hamilcar et di testes sunt. Proinde cum de bello Romano cogitabis,
37 inter primos amicos Hannibalem habeto: si qua res te ad pacem compellat, in
38 id consilium alium cum quo deliberes quaerito.”

39 Non movit modo talis oratio regem sed etiam reconciliavit Hannibali. Epx
40 consilio ita discessum est ut bellum gereretur.